



Hvmanae Salvts Monvmenta

Arias Montano, Benito

Antverpiae, [1571?]

In tabulam Christi in lordan baptizati. Ode Tricolos Tetrastrophos XLIIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In tabulam Christi in Iordanem baptizati.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS XLIII.

Quæ festa lux hæc , dicite montium
Syluae ? quid alto gaudia personant
Clamore rupes , quas imago
Percipit , ingeminatq; voces ?
Quæ tanta præceps pennigerum genus
Exercet alis cura micantibus ,
Cæli per oras atque acutis
Cantibus instrepitare cogit ?
Iam gestientis lætiae decus
Quæ causa nuper proferat audio ,
Trini quod inspectanda terris
Numinis emicuit potestas .
Hic nam iuuenti lumine spiritus
Delapsus alti culminibus poli ,
Candentis aspectum columbe
Præbuit , auricomumq; lumen .
Et vox ab æthra personuit patris
(Quam densa sylue contremuit coma)
Audita , præsentemq; natum
Dicere , & hunc populis magistrum .
Hunc , quem neque alti conscientia numinis
Natura nostrisq; ulterius modis
Virtus resulgens administrum
Esse hominum generi retardat .
Hic se minori subdidit hospiti
Amne ablendum , purus & innocens .
Nec ipse quamvis usque compos ,
Id quod erat , tamen efferebat .
Illum stupeñi fluminis alueo
Gaudens Iarden suscipit , humidis
Complexus vlnis , & loquaci
Murmure concelebrans salutat :
Et quæ secundo perfluit agmine ,
Sacra denso membra volumine
Circundat hærens , & priorem
Vnda sequens premit inuidendo .

M O -



MODESTIÆ ORNAMENT.

*Non decus ipse suum iactat natus; pater ipsi
Adscribit: vera hæc gloria, nulla prior.*



CHRISTO DEI FILIO PRONVNCIATO S.

In